

Franckesche Stiftungen zu Halle

Theses Theologicæ De Perseverantia Sanctorvm

Gautier, Thomas

DiæAugustæ Vocontiorum, MDCLXXXIII

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

[urn:nbn:de:gbv:ha33-1-219998](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:gbv:ha33-1-219998)

211
T H E S E S

THEOLOGICÆ

DE

PERSEVERANTIA SANCTORVM.

QVÆ

DEO SVMMO PRAESIDE

IUVANTE

THOMA GAVTERIO ASTANTE

TYEBITVR

Ingenuus & ornatissimus Iuuenis Theologiæ candidatus

ANTONIUS DVRIOV Chalanconensis Vivar.

In Auditorio Theologico à festis Pentecostes, die 11. Iunij hora
locoque solitis.



DIE Augustæ Vecontiorum

Typis IACOBI FIQVELLI, Academiæ Typographi.

M. DC. LXXXIII.

21



OMNI REVERENTIA COLENDIS

PATRIBVS
APVD VIVARIENSES

RELIGIONIS NOSTRÆ PRÆCONIBVS FIDELIS-
SIMIS, DOCTISSIMIS, AC MERITISSIMIS.

*In debitum obsequij perpetui, & obser-
vantie nunquam interitura mo-
numentum, conspectui Eorum in
Synodum convocatorum se sistens,
Hasce Theses Theol. humillimè offert,*

D. K. & C.

ANTONIUS DVRIOV Respondens.

M. DC. LXXXIII.

15



T H E S E S

T H E O L O G I C Æ

DE

PERSEVERANTIA SANCTORVM.

THESIS I.



ANC sanctam & faustā de perseverantia Sancto-
rum doctrinam ut superbiæ foetum, securitatis,
negligentiæ, & licentiæ matrem, Deo injuriam,
Evangelio contrariam, sanctitatis & pietatis inimi-
cam & animabus lethiferam damnant & horrent
adversarij quamplures. Nos è contrā eam ut fidei
partum, Charitatis comitem, & Spei parentem, piæ sollicitudinis,
diligentiæ & cautelæ amicam, genuinæ sanctitatis sororem, infir-
morum robur, afflictorum solamen, titubantium fulcrum, pug-
nantium clypeum, & vincentium fulgorem ac decus, Deo glorio-
sam, & Ecclesiæ iucundam & salutiferam amplectimur & propug-
namus.

II.

Vt autem sententia nostra intelligatur, calumniæ occurratur,
adversariorū molimina quæcunque funditis subruantur, & veritas
facta tecta nobis maneat, eam perspicuè explanare & accuratè
tradere conabimur.

III.

Neque quoslibet Sanctos perseverare, neque quosdam nullo
modo deficere asserimus, è contrā quosdam penitus, & omnes ali-
A quatenus

4

quatenus saltē deſcendere, aut deſcendere poſſe ultrò ſatemur. Men-
tem ut aperiamus has diſtinctiones præmittimus. Primo Tripli-
cem Sanctorum ordinem. Secundo Triplicem perfeverantiam,
& tandem triplicem apoſtaſiam diſtinguimus.

IV

Sanctos primi ordinis voco, qui ea tantum ſanctitate fulgent, quā
fœderalem nuncupant Theologi, & quæ tota in ſegregatione à
mundo, & pseudoreligionibus, in communione politica cum ſana
& vera Eccleſia, in profeſſione externa fidei, auditione Verbi, par-
ticipatione Sacramentorum, & quibuſdam actibus externis reli-
gionis citra ullum penitentiorem guſtum vel affectum pietatis conſiſtit
& ſubſiſtit. Quo ſenſu quicumque intra Eccleſiæ pomeria vitam
Agunt, Sancti dicuntur oppoſitè ad infideles & hæreticos.

V.

Sanctos Secundi ordinis voco qui parum eminentiorem ac peni-
tentiorem ſanctitatem profitentur, qui revera credunt Evangelio, qui
pœnitentia quadam ſuorum peccatorum ducuntur, & mores ſaltē
coram hominibus iuxta legem Dei componunt, & ut eos delineat
Chriſtus; Matth. 13. qui verbum ſtatim cum gaudio excipiunt. Et
Paulus Heb. 6. qui illuminantur, guſtant donum cœleſte, & parti-
cipes ſunt Spiritus ſancti, qui guſtant bonum Dei Verbum ac Vir-
tutes futuri ſæculi, qui porro ſi non ſint revera Chriſtiani, ſaltem
Chriſtiani videntur eſſe.

VI.

Tertijs demum ordinis ſanctos dicimus, qui cordicitus Evangelii
amplexi ſunt, qui pœnitentiam ſeriam, fidem puram cum charitate
caſta nexu inſolubili copulaverant, qui mundo & Satanae, vitio &
carni nuncium æternum remiſerunt, & Deo ac cœlo ſe totos man-
cipaverunt.

VII.

Prout triplicem facimus ſanctitatem, triplicem etiam poſſumus
aſſignare perfeverantiam? Fieri etenim poteſt ut quilibet ſanctus
cujuſcunque tandem ſit ordinis, ſive primi, ſive ſecundi, ſive ter-
tij, fieri poteſt, inquam, ut ad extremum uſque halitum quam am-
plexus eſt ſanctitatem retineat. Quot enim externam tantum Evi-
gelij profeſſionem, & ſolum nomen Chriſtianum, per totam vitæ
curriculum retinent? Quantominiùs larvam veræ fidei ac pietatis
geſtantes

gestantes, eam non antequam corpus exuent? Si autem qui nomine aut specie tenus sancti sunt in hypocrisi & professione illa qualicumque perseverare possint, multo magis qui reapse sanctitate vera & ima imbuti sunt.

VIII.

Triplex ergo assignari potest perseverantiâ, Prima in sanctitate federali seu externa tantum; Secunda in fide historica & temporaria; Tertia demum in fide ac pietate vera & genuina.

IX.

Et è contra triplex potest concipi apostasia, Prima à professione externa Evangelij seu à sanctitate federali; Qui enim tantum Religionem Evangelicam extrinsecus sectantur, quaecumque aliâ sequi & cum ludæis ludæos, cum Turcis Turcas, & cum hæreticis hæreticos agere parati sunt; cum enim conscientia ipsorum non magis amore veritatis salvificæ quàm heterodoxias afficiatur, quovis doctrinæ vento, prout impulerit, circumferentur.

X.

Secunda, à fide temporaria nec non à pœnitentia & sanctitate illa externa quam assequuti erant *ἡ πόρνη*. Quoties enim accidit ut qui novitatis incunditate, promissorum utilitate & veritatis splendore ac majestate illecti nomen Christo dederant, statim ac præceptum illud novum ipsis novum esse desinit, ac promissorum effectus in longum protrahitur, & veritas ut ut gloriosa in contemptum & ignominiam apud ipsius hostes venit, ipsam statim fastidiunt & abjurant? Et tales fuere illi quorum nomina in Sacris Scripturis recensentur, & exempla ab adversarijs in hac quæstione nobis objiciuntur.

XI.

Tertia demum apostasia secundum adversarios ea est, quâ verâ ac viva fide præditi ab ea penitus desciscunt: ita ut etsi intimas in ipsorum cordibus radices egisset, inde funditus extirpetur, & veri Dei filij in tot Satanæ mancipia evadant.

XII.

Circa primam apostasiâ nulla est controversia, utrinque admittitur, eos pseudochristianos nunquâ regeneritos fuisse & posse totaliter & finaliter deficere. Circa Secundam, autem hoc interest dissidij, volunt adversarij temporarios fide salvifica & charitate *ἀνυποκρίτως* præditos fuisse, adeoque in numerum verè Sanctorum ac regeneritorum.

rum.

rum esse referendos, & tamen ipsos deficere in æternum. Nos
verò defectionem ipsorum non negamus, sed eorum fidem ac cha-
ritatem fuisse genuinas, ac corda ipsorum verè innovata fuisse per-
negamus, ratum & fixum habentes ipsos nunquam vera fide ac
charitate sed tantùm larvatâ & mancâ fuisse donatos.

XIII.

Quoad tertiam apostasiam, nempe verè Sanctorum, quam pro-
pugnant adversarij, eam neque dari neque dari, posse invictissime
tuemur.

XIV.

Duo nobis Ergo incumbunt excutienda. Primum utrum tempo-
rarij genuina sanctitate aliquando donentur quâ tandem excidant.
Secundum utrum veri fideles in finem usque perseverent neque
unquâ gratia Dei penitus excidant? Vtrumque affirmat Bellarmi-
nus, & contrarium Calvino tanquam erroneum impropetat. *Error
est Calvini*, inquit, *fidem & iustitiam propriam esse Electorum & semel
verè acceptas non posse ulla ratione amitti, & qui eam videntur amittere
nunquam verè habuisse.* Bell. de Iustifi. l. 3. c. 14. § venio ad. Vtrum-
que etiam suo anathemate ferit Concil. Trid. sect. 6. de Iustifi. can.
23. *Si quis hominem verè iustificatum dixerit, gratiam amittere non
posse, atque ideo eum qui labitur & peccat nunquam verè fuisse iustifica-
tum, anathema sit.*

XV.

Vt autem doctrinæ nostræ veritas omnium oculis patefcat, hanc
circa primum assertum sic effertimus, Iustitiam & Sanctitatem quæ
exiigit ex amore paterno Dei, & gratia salvifica Christi, & virtute
Spiritus adoptionis, & manat ex fide intima, charitate vivida & spe
inconcussa, & in sincera ac integra imaginis Dei restitutione con-
sistit, adeo Electis & verè fidelibus esse proprias, ut alijs quibus-
cunque, etsi fidem dogmaticam profitentibus, & pœnitentiam quâ-
dam legalem assecutis; non nisi umbra & larva ipsius competat.

XVI.

Quod demonstratum imus tot argumentis, quot verbis in mente
nostra aperienda usi sumus. Primò, li solùm sunt verè Sancti qui
dilecti sunt ex prænotione Dei Patris ad sanctificationem Spiritus:
Nulli enim existunt aut existere possunt Sancti, qui non sint dilecti
à Deo, quos non prænoverit ad sanctificationem Spiritus, alias dici
posset

posset Deum odisse Sanctos, Deo infcio & invito multos ad sanctitatem evehi, quod impium dictu, impium cogitatu. At soli Electi sunt; *dilecti ex preensione Dei Patris ad sanctificationem Spiritus*, quod patet ipsissimis verbis Petri Ep. 1. c. 1, v. 2. Ea enim verba non Reprobos sed Electos graphicè depingere planum & clarum est: Ergo ijs solis tantum verè Sanctos esse contingit.

XVII

Secundò Sancti tantum evadunt, quos Christus Sanctus Sanctorum tales efficit, unde enim suam sanctitatem haurirent, cum sine eo nihil habeamus aut possimus, Ioh. 15. 5. At hoc est solius veræ Ecclesiæ peculium & proinde verorum ipsius membrorum, non autem supposititiorum, quod totidem verbis docet Paulus Eph. 5. 26. *Christus Ecclesiam dilexit & semetipsum pro ea exposuit, ut sifteret eam sibi gloriosam non habentem aut rugam aut maculam aut quicquam eiusmodi, sed ut esset sancta & inculpata.*

XVIII.

Tertiò Ij demum Sancti sunt, quos habet Spiritus sanctus. Spiritus enim impurus Sanctos non facit. At Spiritus sanctus solos Dei filios habet, ut docet Paulus, Rom. 8. 14. *Quotquot Spiritu Dei ducuntur ij sunt filij Dei*; At soli Electi sunt filij Dei, non enim Reprobos adoptavit Deus, quod iterum evineitur ex eodem loco, *Si filij etiam heredes, heredes quidem Dei, coheredes autem Christi*; non enim illi Sancti larvati magis Filij Dei dici possunt, quàm ipsius heredes: Ergo soli Electi verè Sancti dicendi veniunt.

XIX.

Quartò Nulla est vera Sanctitas sine vera fide, atqui fides vera, est propria solis Electis, quod probatur: Primò, Quia fides est Electorū, Tit. 1. Secundò, Quia verè credunt quotquot sunt ad vitam æternam ordinati, non alij, Act. 13. 48. Tertiò, Quia ij qui non sunt ex ovibus Christi non credunt, Ioh. 10. 26. Quartò, Idem probatur, *quia fides nunc manet*, ut signanter loquutus est Paulus, 1. Cor. 13. 13. id est perseverat in hoc sæculo, si enim evanida & lubrica esset, quomodo *manere nunc* dici posset? Et iterum, vera fides ex eodè Heb. 11. 1. est *ἐπιζομένων ὑπόστασις πραγμάτων, ἔλεγχος ἡ βλεπομένη*; Si verò sit fluxa & elumbis, qualis est temporariorum, quomodo *ὑπόστασις*, & *ἔλεγχος* dici poterit? Quinto, Ea est vera fides quæ Deum ut Patrem in Christo inelamat Rom. 8. 15. At soli Electi

B

Deum

Deum Patrem compellendi iure gaudent. Sextò, Vera fides est quæ Deum ut sibi propitium & se diligentem amplexatur; At temporarios ut ut apparenti sanctitate resurgentes Deus nequidem novit. *Abite a me operarii iniquitatis nunquam novi vos* Matt. 7. 23. Septimò Vera fides nos filios Dei efficit. *Is autem qui crediderunt in nomen eius, hanc dignitatem dedit, ut fiant filij Dei,* Ioh. 1. 12. At temporarij nunquam in hunc album referuntur. Ergo neque vera fide unquã donantur.

XX.

Tandem, ne plura congeramus, vera fides est per Charitatem efficax, Gal. 5. 6, *Et Charitas omnia suffert, omnia credit, omnia sperat omnia sustinet, Charitas nunquam excidit.* 1. Cor. 13. 7. 8. Spes est anchora animæ iuta & firma ingrediens usque in ea quæ sunt intra velum, Heb. 6. 19. Spes non pudefacit, Rom. 5. 5. *Regeniti sumus in spem vivam, in hereditatem qua nec perire potest, nec contaminari, nec marcescere, nobis in cælis servatam &c.* 1. Pet. 1. 3. 4. At hæc de virtutibus *πρωταίσι* dici nequeunt: Ergo neque eos gratiæ salvificæ, & iustitiæ Evangelicæ participes fuisse.

XXI.

Dòctrinam Evangelij amplectitur fides eorum, non præsertim quia est vera, sancta, honesta & divina; sed quia curiosa, nova, sublimis, iucunda & utilis; ac proinde quia suis cupiditatibus, desiderio scientiæ, vanæ gloriæ, & lucri favere videtur. Spes quam concipiunt non tam bonis futuris, quàm præsentibus inhiat: Charitas verò eorum se & sua magis quàm Deum diligit, non gloriam Dei sed hominum aucupantur. Non omnia missa faciunt vitia quibus mancipantur, imò ne unum quidem quodcunque sit, saltem seridò & in perpetuum; si oderint peccare, non odio peccati sed odio pœnæ oderunt. Et interea securi & audaces tanquam soli Pij & soli sancti caput extollunt, & sibi solis cælum deberi præsumunt.

XXII

Meritò ergo tantùm distare dicuntur illi pseudoChristiani à veris, quantum adulatores ab amicis, filij nothi à genuinis, garrulitas psittacorum à sermonibus sapientum, imò quantum simia ab homine, & *ἀνθρώπων* ab animalibus, quamvis enim ubique eisdem motus externos videas, non tamen ubique sunt eadem principia interna: Quod Pij amore Dei idem impij amore sui ipsorum, quod

Pij

Pij præ zelo, idem impij præ ira, quod Pij propter salutem æternam, idem impij propter commoda terrena, quod Pij pietate, idem impij hypocrisi, quod Pij humilitate, impij timiditate, quod illi fiducia in Deum, hi audacia & vana præfidentia, quod illi odio vitiorum, isti odio personarum suscipere, & exequi sapissimè comperiuntur.

XXIII.

Non Ergo statim qui Fideles iusti & sancti apparent coram hominibus, fidelibus iustis & sanctis apud Deum accensentur, & si quæ pietatem tantum profitentur, non verò sincerè colunt, penitus subruantur, non illico inferendum est: Ergo verè pios & probos etiam totaliter deficere.

XXIV.

Quod nunc secundo loco venit trutinandum, solutione obiectamentorum in veritatem iam iam allatam & probatam, in finem hujus dissertationis dimissa, ut pote quæ utramque nostram assertionem de pseudoiustitia temporariorum & perseverantia iustorum impetant.

XXV.

Ne autem Andabatarum more digladiemur, à limine quid de perseverantia Sanctorum sentiamus, ingenuè profiteri est animus. Hoc autem modo rem concipimus & explanamus: In vita naturæ quinque imò sex sunt attendenda. Primò, Ipsius creatio seu productio. Secundò, Ejus conservatio ex parte Dei. Tertiò, ejusdem conservatio ex parte nostri. Quarto, ejus facultates. Quintò, ejus operationes, & tandem sensus quo reapse nos vivere comperimus. Indubia sunt hæc omnia, Deum nobis vitam creare & creatam conservare, & nos nostro modo ejusdem conservationi invigilare & inservire, nempe tum alimenta, & remedia, & vestes assumendo, tum noxia quæcunque ingruentia pro viribus cavendo & amoliendo. Certum etiam est, hanc vitam suis præditam esse facultatibus, suas exercere operationes & tandem suo sensu nos afficere: adeò ut qui vivit se vivere sentiat.

XXVI.

Eodem ferè modo se res habet respectu vitæ spiritualis seu gratiæ. Primò enim à Deo nobis infunditur per creationem, quæ Scriptura S. novam, & Theologi secundam nuncupant. Vide Ezech.

36 5. Eph. 2. Secundò quàm nobis concessit vitam eandè conservat, ad hoc enim Christum in nobis manere, inhabitare, & vivere & nos in ipso, & quotquot sumus Spiritum Dei accepisse, & hunc Spiritum in nobis operari docet Paulus. Tertiò, Eam sibi conservant etiam fideles, studio Verbi Divini, praxi operum Pietatis, Charitatis & Iustitiæ, & tentationes ac pericula ipsi imminencia sollicitè cavendo. Quartò, Habet hæc vita suas facultates & vires, nempe habitus tum Theoreticos, tum practicos, tum infusos, tum acquisitos, inter quos primas tenent Fides, quæ ei est loco mentis, Charitas quæ vices cordis occupat, & spes quæ est veluti spiritus quo animatur impellitur & vehitur. Quintò, Hæ facultates edunt suas operationes quæ nihil aliud sunt quàm cogitata, dicta, & facta Fidelium, iuxta Legem Dei & Evangelium Christi. Tandem qui hanc vitam vivit eam sentit, novit enim se novum esse, novam mentem, novum cor & novos affectus à Deo accepisse, & novam agere vitam, se de Deo melius sentire, & in proximum sincerius & cordatius ferri, quàm dum in peccatis mortuus & foetens iacebat.

XXVII.

Si verò nunc queratur, quænam sit sententia nostra circa perseverantiam? Resp. Primò, Si quæstio sit de creatione hujus novæ vitæ, seu novi hominis, ej competeret perseverantiam. Primò Quatenus est ἀνταμέλτος, & irrevocabilis; Quem Deus enim rursus creat, eum morti non addicit: hæc enim nova novi hominis vita non subjicitur huic Legi ferali, Statutum est omnibus hominibus semel mori. Quippe quæ non terræ sed cælo, non ad tempus, sed ad æternitatem producit. Secundò, Hæc vita in se non est corruptibilis & terrena, ut vita hæc corporea; sed ἀθάνατος cœlestis & spiritualis, in hoc præsertim à vita Adamo primitus concessa differens; quòd vita Adami cùm esset naturalis, erat etiam mutabilis ut eventum patuit: Sed hæc nova vita cùm sit tota supernaturalis, est etiam perpetua & æterna. Tertiò, Cùm non fluat ab Adamo φῆμα ἀνθρώπου, sed à Christo θεανθρώπου æternitatis parente, fluit etiam in omne ævum. Quartò, Semen quo generatur non est mortale, sed immortale nempe sermo Dei vivus & permanens in æternū 1. Pet. 1. v. 23. Hujus perennitatis quintum fundamentum & columen, est Electio Dei æterna, cùm enim impossibile sit Electos seduci, Matt. 24. 14. Cùm immotum maneat Dei fundamentum hoc signaculo signatum,

novis

novis Dominus quinam sui sit 2. Tim. 2. Et quos predestinavit eos etiam glorificet Rom. 8. Inde necesse sequitur Electos tandem esse gloriam æternam certissime consequuturos.

XXVIII.

Sextum, Fædus Dei perpetuum quod nobiscum per Christum ferit; Fædus enim gratiæ non est ut fædus operum abrogationi obnoxium; sed è contra est ratum fixum & æternum. Qui fædere operum cum Deo erant fæderati ab ipso desciscere, & in æternum petiæ poterant, qui peccando illud irritum planè reddebant, sed qui hoc secundo fædere Deo fæderantur ab eo nunquam resiliunt; quia lex fundamentalis hujus fæderis ea est, ut illud nunquam irritum efficiamus. *Sponsabo te mihi in sempiternum; sponsabo te mihi in iustitia, in iudicio & misericordia. Ozeas 2. 19. Ierem. 32. 40. Feriam cum eis fædus sempiternum, quod non retro ab eis abscedam quominus beneficiam eis, sed timorem meum dabo in cor eorum ut à me non recedant.* In his verbis hæc tria observa. Primò illud fædus esse sempiternum. Secundò, juxta illud Deum à nobis non recedere, neque tertio nos à Deo.

XXIX.

Secundò, Perseverantia evincitur, si attendamus conservationem hujus vitæ ex parte Dei, docet enim expressissimè Scrip. Deū huius vitæ spiritualis nutritioni custodiæ & defensionis indefessè incumbere. 1. Pet. 1. 5. *Virtute Dei custodimur per fidem ad salutem quæ parata est patefieri tempore ultimo. Ero clypeum tuum & protector. Gen. 15. 1. Abscondet me Iehova in tabernaculo suo in die mala Ps. 27. 5. Custodi me ut nigrum pupilla oculi tui, in umbra alarum tuarum absconde me. Ps. 17. 8.*

XXX.

Imo Scriptura nos monuit unamquamque SS. Triados personam pro nobis excubias agere; & suo præsidio nos circumvallare, & quidem Primam, testante Filio, *Pater meus qui oves meas mihi dedit maior omnibus est, neque quisquam potest eas rapere è manu Patris mei. Ioh. 10. 29. Filius etiam suum nobis pollicetur munimen. Ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi. Matth. 28. 20. & Ioh. 10. 29. Ego vitam æternam do eis nec peribunt in æternū, neque rapiet eas quisquæ è manu mea, & protectionē Patris precibus suis quæ semper exaudiuntur. Ioh. 11. 42. nobis exorat. Pater sancte serva*

C

eos

*eos per nomen tuum quos dedisti mihi. Ad te venio, ut habeant gaudium meum plenum apud se. Non rogo ut tollas eos ex mundo; sed ut servas eos à malo. Et Ioh. 17. Spiritus Sanctus etiam nobis hujus vitæ perseverantiam præstat, inde à Paulo signaculum, pignus, arrhabo vocatur & ab eodem dicitur nos obsequare corroborare & confirmare dum in libertatem vindicemur usque in diem redemptionis Eph. 1. 13. 14. & 4. 30. 2. Cor. 1. 21. 22. Rom. 8. 15. 16. Id autem præstat tenebras nostras fugando, dubia resolvendo, tædia pellendo, ossa contrita sanando, & quibusvis infirmitatibus medendo. Cum autem qui habitat in abscondito Altissimi & in umbra Omnipotentis commoratur certè eruatür è laqueo venatoris & à peste pravitatum Ps. 9. 1. 3. Ex ea conservatione argumentum invictum pro Perseverantia Sanctorum deducimus. Inde Iohannes. *Vicisti eos quoniam potentior est qui est in vobis, quam qui est in mundo,* Ioh. 4. 4. & Aug. *Ipse eos facit in bono perseverare qui facit bonos* l. de corrupt. & grat. c. 12. & Cyp. *Nec plus ad desiciendum potest terrena poena, quam ad erigendum tutela Divina.* ad Martyr. & Confess. Ep. 9.*

XXXI.

Tertiò, Aliter se planè res habet si hæc conservatio consideretur ex parte nostri, nimirum quatenus vitam illam sanctam & benedictam fovere tenemur, nostra pia & perpetua sollicitudine, cum enim sæpe nobis somnus obrepat; & mundus ac Satan suas semper & ubique instruant insidias, & caro indefessè incautis sua propinet venena, inde fit ut huic vitæ tantum abest ut cibum salutare suppeditemus quin potius ipsi dapes lethiferas infarciamus; vel pestiferis animos erroribus imbuendo, vel cupiditatibus nostris & sæculi nos permittendo, vel Diabolo & mundo minantibus & furentibus succumbendo, vel otio ac negligentia nimis litando, & alimentis ad hanc vitam necessarijs abstinendo. Quicquid sit inde fit ut hujus vitæ cursus quantum penes nos stat intercipiatur, & nisi ab auctore suo foveretur penitus extinguatur. Tunc perseverantia ex parte nostri abruptitur & evertitur.

XXXII.

Sed ut liqueat, quomodo id fieri possit, ut simul & semel perseveremus & deficiamus, perpendamus nunc quod quarto & quinto loco annotavimus nempe facultates & operationes hujus vitæ cælestis. Dicimus ergo quod si quaestio sit de facultatibus hujus vitæ, semper

semper à Deo in imo corde conservantur, quanquam operationes earum ad tempus suspendantur, imò intermittantur, non secus ac in deliquijs quæ vita naturalis quandoque patitur; tunc etsi anima non recedat à corpore, etsi vita non extinguatur in corde, ita tamen commectus spirituum interrumpitur, ut nullas edat operationes saltem quæ sub sensus cadant, tunc ergo facultates in quibus residet hæc vita remanent quidem, ac proinde hæc vita, sed operationes illius cessant. Ita v. g. habitus fidei & charitatis non evulsus fuit è corde Petri abnegantis Christum, quamvis à Deo illius fidei & charitatis nempe confessio defuerit in ore. *Hæc est victoria que vincit mundum nempe fides vestra* 1. Ioh. 5. v. 4. *Non aqua plurime poterunt amorem extinguere; neque flumina inundabunt eum* Cant. 8. 7. *Spes non pudefacit* Rom. 5. Admittitur ergo defectio Sanctorum respectu operationum vitæ spiritualis non verò respectu facultatū è quibus ejusmodi operationes manant. *In Sanctorum cordibus secundum quasdam virtutes semper manet Spiritus, secundum quasdam recessurus venit & venturus recedit. In his virtutibus sine quibus ad vitam non pervenitur in Electorum suorum cordibus permanet.* Gregor. mor. l. 2. c. 42.

XXXIII.

Inde hoc etiam ultrò sequitur sensum quo nos hæc vita frui experimur aliquando extingui, ut enim qui Lethargia aut animi deliquio laborat etsi vivat adhuc se tamen vivere nescit, sensus vitæ sepitur cum actionibus vitalibus. Ita etiam ex quo fidei & charitatis habitus fructus suos exercere desinunt, ex tunc desinit cognitio illa reflexa quâ nos Dei filios esse persuademus, habitus enim actionibus destituti non sentiuntur. Tunc evanescit gaudium illud salutis nostræ quò tanquam rore Divino perfundebatur anima, dum vitæ spiritualis munia sollicitè & strenuè obibat. Tunc ingruunt tenebræ, pavor, angor & horror & Sancti se tanquam è Paradiso in Tartarum deturbatos lamentantur.

XXXIV.

Deficiunt & labuntur Ergo Sancti tripliciter. Primò, Dum conservatione suæ vitæ spiritualis spernunt & intermittunt. Secundò, Cum operationes ipsius omittunt. Terriò, Cum sensu illius vitæ destituuntur. Ex hac autem defectione cycius vel tardius emergunt, quidam enim deficiunt ad quædam momenta tantum, ut Petrus. Quidam ad aliquos menses, ut David. Nonnulli ad plures annos,

ut

ut Salomo: sed non tamen penitus ex gratia excidunt, quia præter
quam quodd Electio, Fœdus Dei, ipsiusque cura & protectio tempori
& ejus vicibus nunquam cedunt, Virtutes quas Deus eorum men-
tibus insculpsit, inde non penitus evelluntur, adeo ut nulla super-
sint earum fibræ, semen Dei in ipsis manet, 1. Ioh. c. 3. 9. & ut
superius evicimus Fides, Spes & Charitas nunquam adeo subru-
untur, ut nulla remaneant earum rudera. Quis enim audeat asse-
rere Davidi v. g. in peccata lethifera lapso nullum fidei radium,
nullam charitatis scintillam remansisse, ipsum Dei verbo omnem
planè fidem abdicasse, ipsius timorem & amorè funditus excussisse?
Vnde factum fuit ergo ut ad Viri Dei monitum protinus tanquam
fulmine tactus ad pedes Patris æterni pronus ceciderit? Quis cre-
dat Petrum Christum abnegantem toto corde ipsum abjurasse, un-
de ergo factum est ut statim suam infidelitatē tam amarè desolverit.

XXXV.

Et missis exemplis supponamus hominem cujus mens undiqua-
que luce salutari collustrata fuit, qui veritati plenissimum assensū
dedit, qui seria peccatorum pœnitentia ducitur, qui Deum vehe-
menter diligit, ipsius filium, Christi membrum & Spiritus Sancti
Templum, supponamus hujusmodi hominem tentatione adeo vio-
lenta concuti ut in peccatum conscientia graviter vulnerans dela-
batur, existimant ne Adversarij illum hominem tunc statim omni
luce cœlesti, omni pœnitentia, omni amore, tum erga Deum, tum
erga proximum penitus orbari, & pro fide infidelitatem, pro amo-
re Dei & proximi ipsorum odium amplecti, & Filium Dei ejus
hostem, membrum Christi filium Belial, templum Spiritus S. Dæ-
monis mancipium illicò evadere?

XXXVI.

Si res ita gereretur non una nova creatio aut prima resurrectio
ad peccatorem quemlibet servandum satis esset, sed ut sæpissime
morientur omnes, nempe quoties lethaliter peccant necesse erit ut
identidè rursus creentur & exsuscitentur; Si hæc sit admittenda do-
ctrina expungenda erit Pauli assertio tam vehemens. *Fieri non potest*
ut qui semel fuerint illuminati, gustaverintque donum cœlestē, & participes
facti fuerint Spiritui Sancti, gustaverintque bonū Dei verbum ac virtutes
futuri seculi si prolabantur ut denuò renoventur per reserpscentiam. Heb.
6. 4. 5. 6. Contra enim dicendum erit quod quantumvis sæpissime
prolabantur

prolabantur, semper tamen renovabuntur, vana & falsa esset gloriatio omnium verè Fidelium. *Neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Principatus, neque Potestates, neque instantia, neque futura, neque sublimitas, neque profunditas, neque ulla alia res creata potest nos separare à charitate Dei quæ est in Christo Iesu Domino nostro.* Rom. 8. 38. 39. Nisi enim perseveremus falsò diceret Paulus nos non separandos esse à Deo, nam si ejus gratiâ excidamus, ab eo divellimur.

XXXVII.

Si Petrus abnegando Christum non excidit è gratia, neque etiam ex ea excidunt alij Fideles dum peccant graviter, at Petrus Christum abnegans non amisit gratiam; Christus enim oraverat & exauditus fuerat ne ipsius fides deficeret in tam luctuosa tentatione. Luc. 22. 32. *Non defecit fides in corde cum deficeret confessio in ore, nec tam eversa eius dilectio, quam turbata fuit eius constantia, amabat intus quem negabat foris, tamen si affectus metu constrictus torperet. Mansit fides actu primo, secundum intercepit periculi motus.* Leo mag. serm. 9. de Passione.

XXXVIII.

Sit ergo nostra conclusio novum hominem varijs langoribus, infirmitatibus, morbis, imò deliquijs aliquando laborare, sed nunquam penitus interire; Hanc lucem sua decrements, suas obumbrationes, & eclipses pati, sed nunquam omnino extinguì, plantas à Patre cœlesti plantatas ventis agitari, & concuti, sed nunquam eradicari, Math. 15. 13. Rigente bruma folijs & fructibus nudari, non tamen vita intima orbari, veritatem fatigari posse sed vinci non posse. Fidem ventilari posse sed deficere non posse. Luc. 22. 31. 32. Homerus etsi quandoque dormitet, Homerus esse non desinit, caro semper oblectatur spiritui sed nunquam ipsum planè debellat, Gal. 5. *Ἀπορρέμεθα ἀλλ' οὐκ ἐξαπορρέμεθα κατὰβαλλόμεθα ἀλλ' οὐκ ἀπολλόμεθα* 2. Cor. 4. 9. Aliud est dubitare aliud desperare de salute. Illud cum fide consistere potest quavis non istud, in illud aliquando, in istud nunquam incidere possunt veri Fideles, etiam cum non perseverant opere & effectu, perseverant corde & affectu, inde David etsi peccarit atrociter, tamen Deum corde sequutus fuisse dicitur 1. Reg. 14. 8. Cum veri Israëlitarum Babylone captivi detinentur post Hierosolyma anhelis suspirant, nunquam imò pectore & plena voluntate à Deo recedunt & peccato se mancipant, etsi aliquando subreptione, infirmitate aut per-

D turbatione

turbatione illi serviant, *Miles Christi sobrius & armatus ad praelium stant, mori possunt, vinci non possunt, & hoc ipso invicti sunt quia nec mori timeant, nec repugnare contra impugnantes, cum occidere innocentibus nec nocentem liceat, sed promptè & animas & sanguinem tradere, ut cum tanta in seculo malitia sevitia grassetur, à malis & sevis velocim praecoidantur.* Cypr. ad Cornel. Ep. 1.

XXXIX.

Hanc Doctrinam de Perseverantia docuit Origenes in Ioan. 4. *Nequit auferri donum, inquit, neque gratia Servatoris nostri quæ neque consumitur neque corrumpitur in eo qui particeps ipsius fuerit.* Tertull. de præscrip. adversus hæres. *Hæreses de quorundam infirmitatibus habent quod valent nihil valentes si in fidem benevalentem incurrant, solent quidem isti miriones etiam de quibusdā personis ab hæresi capitis edificari in ruinam. Quare illa, vel ille, fidelissimi, prudentissimi & usitatissimi in Ecclesia in illam partem transierunt? Quis hoc dicens non ipse sibi respondit neque Prudentes, neque Fideles, neque usitatos æstimandos quos hæreses potuerint demutare? Quid ergo si Episcopus, si Diaconus, si vidua, si Doctor, si etiam Martyr lapsus a regula fuerit, idè Hæreses videbuntur veritatem obtinere? Ex personis probamus fidem, an ex fide personas? Nemo sapiens nisi Fidelis, nemo maior nisi Christianus, nemo autem Christianus, nisi qui ad finem usque perseveraverit. Et paulo post. Persecutio & Martyres facit, Hæreses Apostatas tantum. Et lib. de corona militis. Nusquam Christianus aliud est. Et ibid. Non admittit status fidei allegationem necessitatis, nulla est necessitas delinquendi quibus una est necessitas non delinquendi.* Cyprianus ad Cornel. Ep. 49. *Neque potest perire nisi quem constat esse periturum, cum Dominus in Evangelio suo dicat, omnis planta quam non plantavit Pater meus cælestis eradicabitur. Qui plantatus non est in præceptis Dei Patris & monitiis solus poterit de Ecclesia ille discedere, solus Episcopis derelictis, cum Schismaticis & Hæreticis in furore remanere. Cæteros verò nobiscum adiunabit Dei Patris misericordia & Christi Domini nostri indulgentia & nostra patientia. Et Epist. 55. ad Cornel. Ostendit Petrus Ecclesiam quæ in Christum credat, & quæ semel id quod cognoverit teneat, nunquam ab eo omnino discedere, & eos esse Ecclesiam qui in Domo Dei permanenti plantationem verò plantatam à Deo Patre non esse quos videmus, non frumentis stabilitate solidari, sed tanquam paleas dissipantis inimici Spiritu ventilari, de quibus & Iob. in Ep. sua dicit. Ex nobis exierunt sed non fuerunt ex nobis.*

Nobiscum sentit August. lib. de corrup. & grat. c. 12. *Primo homini, inquit, datum est adiutorium perseverantia, non quo fieret ut perseveraret; sed sine quo per liberum arbitrium perseverare non posset. Nunc vero Sanctis in Regnum Dei per gratiam Dei prædestinatis non tantum tale adiutorium perseverantia datur, sed tale ut eis perseverantia ipsa donetur: non solum ut sine isto dono perseverantes esse non possint, verum etiam ut per hoc donum nunquam perseverantes fini, Et c. 11. Gratia potentior est in Secundo Adamo quam in primo. Prima Gratia enim est quæ sit ut habeat homo Iustitiam si velit. Secunda ergo plus potest quæ etiam sit ut velit, & tantum velit tantique ardore diligat, ut carnis voluntatem contrariis concupiscentem voluntate Spiritus vincat. Et c. 12. Fortissimo quippe dimisit atque permisit facere quod vellet, infirmis servavit ut ipso donante invictissime quod bonum est vellent, & hoc deservere invictissime nollent. Inde fit ut loquitur idem in Pl. 29. Enarratione 2. Ut Iob sit cauior in stercore, quam Adam in Paradiso. Adam in Paradiso consensit mulieri, ut de Paradiso emitteretur, & Iob in stercore respuit mulierem, ut ad Paradisum admitteretur. Et alibi. Frumentum ab area non recedit aut redit si recedit. Perseverantiam credebatur & suadebat Greg. 1. lib. 1. in Iob. 1. 5. In casum bonum agitur, si ante vita terminum deferatur, sicut & frustra velociter currit, qui priusquam ad metam veniat deficit. Hinc est quod per Moysen caudam hostiæ in Altari offerre precipimur, ut videlicet omne bonum quod incipimus etiam perseveranti sine compleamus. Benè igitur cæpta cunctis diebus agenda sunt, ut cum malum pugnando repellitur, ipsa boni victoria constantia manu teneatur.*

XLI.

Perseverantiam docet Bellarminus ipse dum Prædestinationem definit ex August. Providentiam Dei quæ certi homines ex massa perditionis misericorditer selecti per infallibilia media in vitam diriguntur æternam. De Grat. & Liber. arb. l. 2. c. 9 § Igitur, & dum explicans eam Definitionem subijcit. Dicitur per infallibilia media quoniam prædestinatio certissima est. Nemo enim rapere potest Electas oves de manu Pastoris Omnipotentis, ut ipse dicit Iob. 10. Dicitur in vitam diriguntur æternam, quoniam in hoc propriè ratio Prædestinationis consistit, ut sui directio & quasi transmissio rei prædestinate per certa media ad suum finem. Ibid. §. Dicitur misericorditer. Inde tale nectimus argumentum. Qui per infallibilia media in vitam diriguntur æternam, quorum prædestinatio

ratio certissima est, quas oves nemo de manu Pastoris Omnipot. raperere potest, qui transmittuntur per certa media ad suum finem, perseverant usque ad finem. Atqui omnes qui ex massa perditionis à Deo misericorditer selecti sunt per infallibilia media in vitam diriguntur æternam &c. Ergo &c. Senault ex Paulo & August. eandem Doctrinam facunde & fortiter tradit & probat, ejus verba idiomate nostro vel potius illius referre liceat, ne venustate sua nativa, lingua exotica exorantur. *Je suis assuré* dit S. Paul, & cum eo Senault, *que la mort avec ses horreurs, que la vie avec ses charmes, que les Anges avec leurs beautés, que les Demons avec leurs laidours, que les choses presentes avec leurs appas, que les choses futures avec leurs promesses, que le Ciel avec sa gloire, l'Enfer avec sa peine ne sauroient jamais m'éloigner de Dieu. Et comment le pourroient ils faire, dit S. Augustin, puisque la mort toute hideuse qu'elle est nous conduit à luy, que la vie ne se trouve qu'en sa possession, que les Anges & les demons sont les ministres de sa justice ou de sa misericorde, que les choses presentes sont fausses, & les futures incertaines, que l'Enfer avec Dieu feroit naître mon bonheur, & que le Paradis sans luy seroit mon supplice?* Sen. l'homme Chrest. Traité 7. Discours 5.

XLII.

Perseverantiam tandem propugnamus his rationibus, nisi daretur frustra eam nobis præciperet Dominus, frustra ad eam hortaretur, frustra eam nobis polliceretur, frustra ad eam consequendam votis, orationibus, laboribus, certaminibus, & patientiâ contenderemus, imò accuratè loquendo nulli essent Fideles. Qui enim à fide desciscit potius infidelis quam fidelis est dicendus. Qui egrediuntur ex nobis non erant ex nobis, si enim ex nobis fuissent utique nobiscum mansissent; sed egressi sunt ut patererentur ex nobis non fuisse. 1. Ioh. 2. 19. Decretorum Dei æternorum immutabilitas, meritum & intercessio Christi Iesu, auxilium & virtus Spiritus S. in auras evanescent, imò Ecclesia universalis deficere posset, at hæc sunt ἀτοκτάτα Ergo &c.

XLIII.

Quæ ab Adversarijs in contrariam partem afferuntur & multa & intricata sic breviter & perspicuè resolvimus. Primo, Concedimus iustum à iustitia sua se avertentem & iniquitatem facientem in illa mori ut loquitur Ezech. c. 18. Et reprobum aliquo modo fieri, ut loquitur Paulus 1. Cor. 9. 27. Idque tum merito quia ex inde morte & reprobatione dignus est, tum quadantenus reipsa, quandiu

quandiu enim in peccato desidet, non modo morte & reprobatione dignus est, sed etiam aliquo sensu mortis ac reprobationis ictus, saltem Prodtomos, in corde sentit, pacem conscientię, Spiritus S. consolationes, gaudium salutis amittit, tanquam à facie Dei projectus ejus iram persentiscit, in tenebris, mœrore, angore, cruciatibus, quasi morte æterna damnandus versatur, & ut loquuntur Patres Dordraceni, *aptitudine ad Regnum Cœlorum etsi non iure ad illud excidit*, propemodum ut leprosus olim aptitudine ingrediendi in suam domum, etsi non jus amittebat, eò quod erat leprosus.

XLIV.

Quandiu ergo in illo luctuoso deliquio jacet, nec de sua fide, sanctitate, aut iustitia gloriari, nec de sua salute sibi adulari potest, quia pro tunc fides & ceterę ejus virtutes sunt inertes & sopitę, adeoque nihil operantes ad ipsius sanctificationem & consolationē, & nomine ac re seu actu comperitur non sanctus, sed facinorosus, non Dei servus sed hostis, non sub Gratia sed sub reatu & si per impossibile inde non resurgeret, ac ultimum vitę halitum in ejusmodi peccatis Conscientiam vastantibus efflaret, actum esset de ipsius salute; ut enim navigantes cum Paulo etsi ex Decreto & promisso Dei ex naufragio salvi & incolumes emeraturi erant, *Non peterant tamen salvi esse nisi Nauta mansissent in Navi*, ut dicebat Paulus Act. 27. 31. Ita fideles exorbitantes metam Regni Cœlorum non prius contingent, quàm per renovatum fidei & pœnitentię actum in viam redierint; nec inde tamen sequitur eos tunc totaliter defecisse, quia Propositum Dei de ipsorum salute manet immotum, adoptio, & justificatio ipsorū universalis non rescinditur & quamvis actus externi cessent, & habitus interni minuantur, ac suavitas operandi aboleatur, manet tamen semen Dei apud eos, manent ipsi domus omnia fundamentalia, & ut Paulus de Euticho dicebat, anima eorum in ipsis est, Act. 20. 10. Neque actus lethiferi perimunt habitus salutiferos, sed tantum eorum actus, non enim actus habitui sed actui opponitur. Imò habitus intensè malus non est, saltem ad tempus, cum habitu bono remisso planè *avísatos*, non magis quàm caro decertans aduersus spiritum & ipsum aliquando devincens.

Secundò, Concedimus quosdam excindi de vite, Ioh. 15. 2. de Olea, Rom. 11. 17. 22. Prolabi Heb. 6. 6. & à Gratia excidere Gal. 5. 4. &c. Sed negamus illos unquam fuisse Christo insitos infusione interna, sed tantum externa nimirum quatenus baptisati & verbū Evangelij professi sunt, vel si internè insiti fuerint, non insiti fuere infusione intima Fidei sinceræ & per Charitatē Efficacis sed infusione superficialia fidei elumbis ac temporariæ.

XVI.

Tertiò, Et hoc faciles damus quosdam deleri de Libro vitæ Ps. 69. 29. sed de Libro vitæ Electionis & Vocationis externæ & in tempore factæ, non verò de Libro vitæ Electionis æternæ & vocationis efficacis & ita explicari potest Ioh. 17. 12. *Nemo perijt ex ijs quos mihi dedisti nisi filius perditionis.* Nam Christus ibi de Apostolis quos Deus ipsi vocatione externa tum ad Fidem, tum ad Apostolaturn dederat loquitur, & solum Iudam ex ipsis perijisse dicit. Quod si eam dationem de vocatione interna & efficaci intelligere velis respondendum erit illud *nisi* nemo perijt nisi, esse *adversarium* ut Gal. 2. 16. 1. Cor. 9. 17. &c. Non verò *exceptivum*, id est, eo *nisi* opponi Iudam cæteris Apostolis, non verò de illorum numero excipi, ut docent Theologi.

XLVII.

Quartò, Et hoc agnoscimus Sanctorum apostasiam non esse impossibilem absolute, sed tantum hypothetice nempe supposito Dei Decreto & auxilio, non ex parte nostri qui quotidie deficimus, sed ex parte, Dei qui quotidie nos reficit.

XLVIII.

Quintò, Nee ideo supervacanea sunt monita quibus toties Sacra Script. Fideles à peccato & apostasia revocat ut Rom. 11. 20. *Per fidem stas ne effractor animo sed time.* 1. Cor. 10. 12. *Qui sibi videatur stare videat ne cadat.* Heb. 10. 3. *Ne abiectio fiducia vestram &c.* Vel hortamenta quibus identidem nos incitat ad patientiam & perseverantiam ut Apoc. 2. 10. *Esto fidelis usque ad mortem.* Heb. 10. 36. *Patientiâ vobis est opus ut ubi voluntatem Dei præstiteritis, reportetis promissionem &c.* Primò, Quia Deus hanc perseverantiam nobis infundit & conservat, non tanquam brutis & stipitibus illius planè ignavis, sed tanquam creaturis intellectu & voluntate præditis, & operationis

operationis Dei optimè conscijs, & ad illius effectum suo modo concurrentibus. Clariùs ad eam perseverantiam nos format docendo, hortando, arguendo, refutando, pollicendo, minando, persuadendo, consolando &c. Ea autem omnia sine monitis & alijs ejusmodi medijs fieri nequeunt. Secundò, Et hoc observandum venit quòd Spiritus S. à quo præcipue tanquam causa efficiente pendet perseverantia nostra, non separatur à verbo Evangelij, inde Evangelium dicitur Ministerium Spiritus 2. Cor. 3. 8. neque enim datur, neque conservatur, neque operatur Spiritus ille, qui est Author Fidei, roboris, & Perseverantiæ nisi eum Verbo & per Verbum adeoque ministerium verbi quod in docendo, hortando &c. consistit non est dividendum ab operatione Spiritus Sancti. Tertio, tantum abest ut ejusmodi monita, hortamenta &c. Perseverantiã impugnent, quin potiùs eam adstruunt, quorsum enim Deus ad Perseverantiam hortaretur nisi daretur perseverantia? Quorsum ab infidelitate deterreret, si nevitquam caveri posset? Quarto, Ejusmodi monitis hortamentis &c. Deus à temeraria in nos ipsos fidentia, supinitate, superbia, apostasia retrahit & fiduciam in ipsum, diligentiam, sollicitudinem, humilitatem, & fidelitatem nobis commendat & instillat.

XLIX.

Inde Sextò patet quid reponendum sit opponentibus hanc Doctrinam de Perseverantia Sanctorum studio bonorum operum adversari & torporem inducere; Cum enim perseverantia quam tuemur sit Perseverantia Sanctorum, Perseverantia Fidei & Pietatis necessariò supponit eos quibus illam tribuimus perseverare in sanctitate, in fide, in pietate &c. si non ad semper saltem semper, si non actuali, saltem habituali. Non dicimus hanc perseverantiam esse immediatam quasi in nobis produceretur & foveretur sine medijs, imò planè contrarium statuimus, & hoc simili mentem nostrã aperimus. Deus longævitæ filijs parentibus moligeris, vitæ productionem ad annos XV. Ezechie pollicitus est & omnibus hominibus suam vitæ finem assignavit, & fixit; inde sequitur eos omnes ad suum quemque terminum usque in vita mansuros & perseveraturos. Anne inde sequitur eos nullo cibo, remedio nullo, medijs nullis uti debere ad suam in vita eo usque perseverantiam? Nequaquam. Ita planè se res habet in Perseverantia Sanctorum quæ nihil aliud

aliud est quam duratio vitæ Gratiæ, donec in vitam Gloriæ feliciter commutetur. Deus nobis hanc perseverantiam spondit an ne inde sequitur, Ergo nulla est adhibenda opera, nulla sunt admo-
venda media ad illam consequendam? Eundem errant errorem Adversarij sic argumentantes, ac si dicerent: Deus pollicitus erat Canaan Israël apud Aegyptios captivo, ergo Israël non debuit exire è terra servitutis, & in terram promissam se conferre; vel hoc modo, Deus pollicitus est Davidi victoriam suorum hostium, ergo adversus ipsos pugnare non debebat; vel sic, Deus nobis est pollicitus vitam æternam, ergo non est nobis adeunda, nam huc tandem redit bellum illud argumentum.

L.

Septimò, Hæc machinæ diffusi aliam planè contrariam admovent. Doctrina inquit, de Perseverantia ad desperationem impellit, nemo enim se perseveraturum usque ad finem nisi temere, ut pote de futuro eventu, sibi polliceri potest. *Bellarminus l. 3. de Justif. c. 14. §. Quinta Ratio.* Sed respondemus eos tantum temeritatis arguendos & desperationis periculo subijci qui suam salutem sibi tribuunt, aut à se suspendunt, sed nullam esse temeritatem aut desperationis periculum, in Deum fidere ac totum recumbere, & ipsum veracem in promissis, omnipotentem in operibus, & misericordissimum erga suos credere. Ipsius gloriæ, & suorum salutis non parum detraheremus, si hanc doctrinam detrectarem, ex ea enim elucescit sapientia, veritas, amor, favor, & virtus Dei infinita, exinde haurimus & solamen in adversis, & gaudium in prosperis & fidei ac pietatis nostræ argumenta validissima, imò sine perseverantiæ voto, Deo nunquam sacrificium nostrum acceptum esse poterit: Qui enim se Deo non in perpetuum sed ad tempus tantum addiceret, ipsum potius contumelia quam honore afficeret, cum non tam fidem quam infidelitatem ipsi voveret, qui à Deo se salvum fore non sperat, se salvum fore desperet oportet.

¶ Det Ergo Deus ut hanc Perseverantiam non modò doctrinâ & verbis, sed etiam operibus & exemplo tanquam ipso dignam, Ecclesiæ ejus utilissimam & nobis iucundissimam ac saluberrimam salutem tectam ad umbilicum usque tueamur & profiteamur. Amen.

COROLL.

COROLLARIA

RESPONDENTIVM.

PRIMUM.

Authoritas Scripturæ nequidem quoad nos pendet ab Ecclesiâ
II.

Deum esse unum & trinum credimus & tuemur.

III.

Solam Dei *ἐκδοξίαν* esse causam Electionis constanter asserimus.

IV.

Nullum datur peccatum veniale.

V.

Idiomata Divinæ naturæ Christi, humanæ communicari negamus.

VI.

Duo Sacramenta novi fœderis non conferunt Gratiâ ex opere operato.

VII.

Sola Fide iustificamur, licet cā sola Salutem non consequamur.

VIII.

Vnicam veræ Ecclesiæ notam, scilicet ejus cum Verbo conformitatem admittimus.

FINIS.